

---

† R. P. Iacobus Cloran (1891-1952)

(*Prov. Tor.*)

Quod anno superiore de Patribus E. Meehan et A. McNeil scripsimus, scil. *Subitanea mors - clericorum sors*, id nunc repetendum de Patre Cloran e communitate Saint John, New Brunswick, qui vespere sabbati 16 Febr. a. c. pervenerat ad Charlottetown, Prince Edward Island, praedicatum exercitia spiritualia Sororibus a Pretiosissimo Sanguine, et meridie sequentis diei repertus est exanimis iacens super lectum. Medicus postea advocatus ait subitaneae mortis causam fuisse thrombosin venae coronariae cordis.

Attamen haec mors subitanea non fuit improvisa; nam P. Cloran, antequam Carlottopolim se conferret, peregerat annum suum secessum 10 dierum, et postea confessus erat se nunquam fecisse exercitia tam bona; ad moriendum nunc se esse paratissimum, immo libenter se nunc moriturum.

Sic Provincia Torontina inde ex a. 1948 deflet septem sodales sibi morte ereptos, quorum nemo in suo ad aeternitatem transitu sacerdotem sibi adstantem habuit.

Insignis missionarius, immo inter missionarios Provinciae facile princeps, saltem unus ex optimis, P. Iacobus Cloran natus est in nostra paroecia Maria-

nopolitana (*Montreal*) anglicae linguae, a S. Anna nuncupata, 12 Aug. 1891, et in nostra schola paroeciali recepit primam instructionem. Hoc modo eius vocatio religiosa et sacerdotalis orta esse videtur. Tunc temporis in Canadensi Dicione unicus iuvenatus noster erat Pulchriprati, unicus novitiatus in Marianopoleos suburbio Hochelaga, unicus studentatus Ottaviae. His itaque tribus locis etiam Iacobus Cloran suam formationem qua Redemptorista accepit. Attamen, exacto primo philosophiae anno, Augusto 1912, ex Ottawa transit ad Seminarium maius Esopus; hoc quippe anno, constituta nova Vice-Provincia Torontina, Congregatis Canadensibus anglici idiomatis data est facultas eligendi sibi alterutram Provinciam, ut iam alibi dictum est.

Absolutis studiis et secundo novitiatu, Februario 1918, Patri Cloran a Deo O. M. concessi sunt 34 anni ministerii apostolici, quibus naviter usus est cum zelo et successu haud communi in novem diversis suae Provinciae domibus. Fere 16 annos stetit in S. Ioannis domo, et per triennium quidem (1924-1927) qua Rector. Alio triennio (1936-1939) praefuit domui London, Ontario et semel secundo novitiatui. Februario 1924 fuerat inter « fundatores » novae domus Edmonton, quae hodie est residentia Vice-Provincialis Canadae occidentalis.

Etiam artificis dotes possidebat confrater noster, peritus artium tum musicae tum dramaticae. Sed imprimis valet quod semper erat bonus filius Congregationis, in cunctis sui zeli operibus spirans genuinum spiritum S.P.N. Alfonsi.

Attamen in hoc suo zelo inconscie per quemdam excessum peccasse videtur. Cum enim biennio ante mortem quidam medicus ei dixisset cor eius infirmum esse et proinde ei minus laborandum, potius auscultare voluit iudicium longe mitius alterius discipuli Aesculapii, se dedicando difficili ministerio apostolico quasi sine intermissione, more iuvenis robusti. Atvero, si in formanda subiectiva conscientia licite sequimur opinionem aequae probabilem, nonne extra ordinem moralem, in ordine ontologico, potius tutioristam esse oportet quam probabilistam vel aequiprobabilistam? Medicus alter adeo benignus certe nunc defunctum missionalem ad vitam non revocat! Qui post subitanam mortem Patris Cloran eius cadaver sepulturae paravit, vulgo *undertaker*, ait numquam se invenisse tale corpus mortuum, in quo fere omnis sanguis fuisset in parte superiore, a praecordiis ad caput versus.

Corpus defuncti confratris a capite Insulae Principis Eduardi Charlottetown ad S. Ioannis civitatem, Novae Brunsvigiae, translatum est ibique P. Cloran sollemni funere honoratus. Ipse Superior Provinciae Pl. R. P. Daniel Ehman Missam exsequialem cantavit, nec postea modo R. P. Antonius McBriarty oratione funebri sui connovitii laudator exstitit, sed etiam Antistes dioecesis Exc.mus Patritius A. Bray, qui publice hoc modo gratias agere voluit egregio missionarii de tot tantisque beneficiis spiritualibus suae dioecesi in vita elargitis.